



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

Provincia Germaniæ Superioris.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-70132](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-70132)



# PROVINCIA GERMANIAE SUPERIORIS.



**N**UMERAT superioris Germaniae Pro-  
 uincia Socios trecentos octoginta nouem.  
 In Collegio Ingolstadiensi sexaginta sep-  
 tem : in Dilingano, viginti nouem : in Mo-  
 nachienſi ſexaginta & vnum : in Auguſtano  
 viginti quatuor : in Ratiſponenſi, viginti tres : in Oeni-  
 pontano ſeptemdecim : in Halenſi quindecim : in Lucery-  
 nenſi, totidem : in Friburgenſi ſedecim : in Bruntrutano  
 quatuordecim : in Probationis domo Landſpergenſi, vi-  
 ginti nouem : in Reſidentia Biburgenſi, quatuor : in Oe-  
 tingeniſi, octo : in Conſtantienniſi ſeptem : vno minus in  
 Eberſpergenſi : defuncti ſunt ſex. Ad Societatem admiſſi  
 viginti duo.

A. 2. 3.

COLLEGIUM  
INGOLSTADIENSE.



BIIT P. Christophorus Silberhorn, cum Collegio conuictorum multis annis præclare præfuisse: alter voto B. Virgini Oetingensi nuncupato seruatus in vita. Quatuor solentia Professorum vota fecit Pater vnus: Coadiutorum temporalium fratres duo: sacris initiati itidem duo. Edita Apologia pro vita B. P. N. Ignatii, contra calumnias Simonis Lithi. Habitæ binæ conciones ordinaria, extraordinariæ cõplures in nostro tẽplo, pagisq; circumiectis. Catechismus octauo quoq; die in Vrbe per totũ annum, in quinque pagis per Aduentum, & Quadragesimam traditus, magno conuentuum ardore, & numero, non modò pueros sed adultorum quoque. Confessiones generales auditæ centum quinquaginta octo: aliæ innumeræ, tantòque plures quanto pestis ingrauescens efficacior fuit multis concionatorum verbis ad homines permouendos. Quidam diabolum Prædicantis habitu oblatum, venerationemque imaginis Christi reprehendentem, ac demum defectionem à Deo suadentem, signo Crucis, & inuocatione S. VVilibaldi, tremorem perpetuum corporis et terrore inimici, & præcipiti per scalas casu relictum, confessione, & SS. Eucharistia abegit. Iisdem remedijs idem hostis augusta forma toto fermè anno cuidam apparatus pulsus est vnâ cum superstitiosis obseruationibus: nec animorum tantum, sed aliquoties etiam corporum valetudo restituta est. Morituræ persuasum, vt consueta sacramenta admitteret, quæ quatuor annis pertinaciter repudiarat, admisit eadem, & alius cõcione permotus, cum nouem annis repudiasset. Ab aliquot milliaribus ad nos

v entum

ventum confessionis gratia. Adolescens à Turcica superstitione, cui sex annos addictus fuerat, ad nostra sacra redijt. Facta restitutio centū triginta, & amplius aureorū: tres aliæ minoris sumæ. Hæretici absoluti quinquaginta septē in his octogenariis cum coniuge, filijs, & nepotibus huc ex vicino Palatinatu cōmigravit. Video, inquit, filios, & filios filiorum, sed nunquam mihi quietem hæc afferre felicitas potuit, donec redirem ad fidem maiorum meorum. Foemina morbum suum diurnæ in hæresi pertinaciæ poenam interpretata, voverat se recuperata sanitate Catholicam fore, nec ipsam spes fefellit, nec ipsa fidem. Curru vecta ad templum Saluatoris non ita propinquum, eodem die sana pedibus redijt. Connubia Catholicorum cum hæreticis impedita: libri hæretici, vel ne-gromantici concremati. Bacchanalibus die Martis, in quem peruigilium S. Matthiæ inciderat, ancilla adacta comedere carnes, restitit victrix, cum diceret oportere obedire Ecclesiæ, totoque die ieiunavit, precibus intenta. Virgo pudicitia periculo exposita, dotata, & in matrimonium collocata est. Altera Religionem ingressa. Odia posita, pax composita. Aegri, moribundi, egeni, peregrini adiuti largis eleemosynis. Afflictis præbita solatia. Desperabundi adducti, vt vitam retinerent. Visitati carceres, innocentes inde liberati. Rei ad supplicium animati: in quibus mulieris capite plectendæ vltima verba fuere: Gratias ago Deo, quod vel hoc modo Catholica facta sum.

GYMNASIVM discipulorum multitudine floruit, & nobilitate Germanica, Italica, Polonica. Etiam grauiorum studiorum exercitationes viguere. Pauperum studijs consultum coëmpta domo, in qua quatuordecim iam aluntur. Triplex B. Virginis Congregatio solitum tenuit cursum. Maiores præter priuatas eleemosinas in egenos publicè distribuere aureos quadraginta: libidi-


nam quotidianis verbis salisque cælestibus remedijs  
perdomare. Aegris per monachos per integras noctes  
adstrere consuetudinem quotidiani sacrosanctæque &  
mensurarum confessionum apud quosdam introducere.  
in blasphemos atque discordes animaduertere. Mi-  
nores non minora præstiterunt afflictationibus corpo-  
ris, in remittenda vindicta, in perditis ad sacramentum  
poenitentiae perducendis, in pauperibus stipe, ministe-  
rioque subministrandis. AERARIUM ipsorum vnus ex Solda-  
bus auxit centum aureis. Religiosi exercitia certatim  
expetierunt, impetrarunt duodecim (& sæculares tres)  
aliaque eximij feruoris specimen dederunt. Vnde ad  
suos reuersi quinque, & alijs præpositi, nihil habent anti-  
quius, quam vt monasticam disciplinam ex maiorum  
sanctionibus, atque exemplis moderentur. Ad Societa-  
tem se adiunxerunt quatuor: ad Franciscanos sex: ad  
Carthusianos duo: ad alios ordines tres, quorum octo  
ex maiore Congregatione, duo ex inferiore. In Templo  
nostro oblata tres caluæ, & alia donaria.

## RESIDENDI BIBURGENSIS.

**C**ATECHISMI; & conciones domi-  
risque varijs locis temporibusque habi-  
tæ. Poenitentia, & S. S. Eucharistiae sac-  
ramenta tantò quam antehac pluribus im-  
strata, quântò pestis grassans maiorem incussit terro-  
Parochos, & incolas vicinos consilio & auxilio inuimus,  
vt multi intacti permanserint. Puella temerè Biburgo  
egressa exitum retulit cæteris, ipsa salua euasit: quam  
quam damnata ad seruitium eorum, in quos pestilen-  
tiam

eam exonerauerat. Alia peste correpta, simul atque se ad  
 confessionem corpus Christi suscepit, vlcus rursum  
 sensit, & valetudinem restitutam. Plurimi B. Virgini,  
 D. D. Sebastiano, & Leonardo vota, gratesque persol-  
 uerunt, pro depulsiōne pestis, aliorumque morborum,  
 his in pecora grassantis, inundationis, ceterorumque  
 malorum supplicationes vnaeque frequentissimas  
 ad eorum diuorum templa instituerunt: donaria obtu-  
 lerunt. Maleficientiae pretium tunc, qui contumelijs in  
 nos effusis, post paucos dies concepta peste ē viuis exa-  
 ctus est. Grauis diffensio inter coniuges sublata. Carcere  
 detentis officia charitatis, & erudiendi industria adhi-  
 bita etiam eorum solatio & voluptate. A Lutherana per-  
 fidia ad fidem reuocati sex: libri haeretici, vel magici  
 combusti non pauci.

## COLLEGIUM DILINGANVM.

 **V**IVIS ad Beatos abiit vnus ita circum-  
 fluens gaudijs, vt medios inter agones nil  
 horroris, meras letitias ostenderit. Moribun-  
 da voce, viuida mente hortabatur praesentes:  
 vt ne Societatem cum IESV initam dedecorarent,  
 sed virtutum officijs vsque & vsque colerent. Discessum  
 huius compensarunt noui Socij octo, in quibus Theologi  
 quatuor Monasticas familias petiere viginti. Spirituali-  
 bus exercitijs exerciti nouem. Abbas cum duos suorum  
 reuocaret ad coenobium, Rectori nostro scripsit in haec  
 verba: Cupere se vt exercitijs spiritualibus calefacti  
 domum reuertantur, ceterosque calefaciant. Presbyter

in parochum postulatus, ante non annuit, quàm iisdem  
facibus concalesceret.

ACADEMIA nunquam visa numerosior. Reuerendissimus & Illustrissimus Henricus à Knoringen Episcopus conscientiam credit Nostro. Sacerdotalem ordinem suscepturus tradidit se imbuendum diuinis commentationibus. Templum nostrum, Triclinium, Academiã, cum multis benevolentia argumentis celebrat, & nouum Seminarium cogitat. Reuerendissimus Præpofitus Eluacensis itidẽ humanissimè nos interuifit. Editur liber in hæreticos: carmina itidem gratulatoria Episcopo a nobis, à nobilitate Academica, à Sodalitate D. Virginis. Conuictores sunt ducenti, & forent trecenti si domus caperet; vtrumque Sodalitium Parthenium, & numero, & pietate conspicuum. Fuere qui S. Benedicti, & Francisci exemplo, vincendæ cupidinis ergò se abijcerent in spinas, & niues, aut digitum extenderent in ignem, aut pectora saxo tunderent, aut pugnos in faciem suam infligerent. Quidam sex horis necem Domini flexo genu contemplatus est: alius stato vino abstinuit, vt eo succurreret inopi ægroto: alius viginti sex diebus interdum noctuque cilicium gestauit. Mitto diuerberationes, aliaque corporum castigationes. Hæresum vinculis domi forisque soluti septuaginta & vnus: vnus bis mille confitentes audiuit: alijque à septimo milliaro confitendi gratia aduenere: & ex vrbe hæretica plures quàm sexaginta. Dissidia sublata: restitutioque centum florenorum facta: ieiuniorum seruandorum religio iniecta. Duo templum nostrum casu ingressi, subitò peccatorum doleracti cum lachrymis confessi sunt. Celebrata oratio quadraginta horarum, ex quibus quatuor sibi, quisque Episcopus depoposcit. Peregrinatio ad Montem Sanctum hoc anno primum inter ciues instituta. Quidam spectro exterritus profugit ad Danubium: vbi Virgo candidata fevero

seuero vultu minatur imminens præcipitiū, ni ritè cōfi-  
teatur: trepidus ille spōdet omnia, & respōdet felici euē-  
tu, liberatus spectro quieti restitutus. Sponsus pridie nu-  
ptiarū inuistatū mœrorē narrauit nostro Patri, & huius  
horratu confessus, illicò discussit. Discedēs inuenit spon-  
sam simillimo mœrore obrutam: idem ei persuadet re-  
medium eodem successu. Conciones habitæ ordinariè  
in aula Academica, extraordinariæ in æde nostra, in Pa-  
roecia, in Sacello Episcopali, in vtroque Monasterio Vir-  
ginum: Catechismus in Paroecia, penè octiduana exhor-  
tatio in Xenodochio; etiam leprosis opera data. Cuius  
opulentus factō testamento admonitus à Nostro num  
pauperum oblitus esset; aliquid eis se legasse respondit,  
sed addicurum plusculum, centum videlicet aureos. Hæ-  
reticus capitis reus, iam funestos gradus scandebat con-  
clamat geminatis vocibus, Catholicum, Catholicum  
se moriturum. Attoniti, & stupefacti acceperunt has vo-  
ces Hæretici.

IN Quadragesima itum ad Monasteria duo, in quo-  
rum altero spiritualia exercitia susceperunt Monachi  
quinque, in altero Abbas, & Monachi tres: illic per hō-  
ram quotidie ordinis regula explicata; hīc per oratum  
de argumento vtili, & necessario. Vtrobique confessio-  
nes auditæ, consilia opportunè ministrata, quædam emē-  
data melioribus institutis. Eodem itinere saluatus vir  
doctus, auctoritate, & nobilitate conspicuus: quocum de  
multis Catholicæ fidei assertionibus ita disputatum, vt  
abcedenti Nostro cæteras dubitationes scripto trade-  
ret: & responsis acceptis magnas ageret gratias. Idem  
Sacerdos ineunte ætate contulit se ad Monasterium,  
in quo omnes Societati valde addicti, & à Nobis educa-  
ti. Eò aduenerunt ex composito Abbates duo spiritua-  
lia exercitia peracturi. Horum alter sexagenarius domū  
reuerfus ita oratione incendit suos, vt plerique eadem  
exerc



exercitia expetierint. Præsules antegressos eodem subsecuti quatuor Monachi peregrini, totidemque alij ex antedicto Monasterio. Interea multæ cohortationes habitæ, confessiones exceptæ, vtiliter disciplinæ Monasticæ consultum. Inde ad aliud Monasterium excurret Noster, quod fermè interierat: nunc verò resurgit, labore quatuor Monachorum, ex priori Cœnobio assumptorum. Multa cum Abbate qui solus propemodum mansit superstes, tractata de Monastica disciplina instauranda: præter alia impetrata, vt Monasterium obseraretur, & Religiosi ab externis separarentur. Dehinc vocatus Noster ad princeps monasterium aliud, in quo fructuosè laboratum aliquot diebus. Bibliotheca libris aureorum ducentorum exornata. Haud longè aberat Illustrissimus Nuncius Apostolicus, qui cum vicinum Patrem inaudisset, accersuit, & consilium modumque postulauit instaurandi collapsum quemdam ordinem. Euocatus in ciuitatem Hæreticam, vt expiaret ægrotum, mutato habitu confecit rem prosperè. In itinere quodam duo Patres habuere obuiam Comitissam à qua summis precibus exorati redière cum ipsa in arcem, eiusque, & omnium domesticorum conscientias expiarunt. Oppressa alicui vsuræ species, & artes superstitiosæ: Grauib. quæ sitis factum satis. Scandalum enorme sublatum è Monasterio. Abbati persuasum, vt in subditos, & aduenas divideret libellos quadringentos de Confessione, vel de Fide vera. Vnde factum est vt plerique confiterentur legem. Vicarius ordinis Teutonici confessionis causa nostros euocauit ad arcem. Comes operam eorum in ter graui expetijt. Aucta res sacra casulis duabus, & aureis quinquaginta: Familiaris legato aureorum ducentorum, totidemque dono: plaustris vini duobus, totidemque dolijs.

# COLLEGIUM MONACHIENSE.

**I**NTER viuos esse desijt P. Henricus Gaugrieder, vir sui contemptu, & pietate in Deum insignis: vnum & viginti annos in Societate traduxit, Ministri, Regentis, Rectoris officio perfunctus. Diuinis meditationibus excultri quaterni in Societatem admissi quini. Primum sacrum fecerunt è Nostri duodeni tam pia cum pompa, vt cuius qui ad eum vsque diem templum, congressumque nostrum admodum vitauerat, spectandi causa ingressus, illico singulari cum solatio vitam mutare decreuerit, Sacerdotique nostro derexerit. Nonnulli damnati votorumque ad sacra ædis nostræ ossa fecerant. Conciones tribus in vrbe locis perpetuata. Diuinæ mensæ accubuerunt ad triginta millia: omnem vitæ antea actæ rationem exposuere trecenti. Septuagenarius, qui nunquam ad confessionem adduci potuit, tandem Nostro confessus à puero omnia, quietem inexpertam est nactus. Alius mentem stimulo peccati ante quadraginta annos commissi liberatus inter multa quæ tentarat, in ediam octauo quoque die sibi indixerat panem, & aqua contentus: voto annuæ, quod superaret, peregrinationis ad Montem sanctum se obstrinxit frustra. Tandem nocturno viso admonitus est Monachium (aberat multa milliaria) ad templum Societatis IESV contenderet, expiatis criminibus, qua siturus animi quietem: atque inuenit. Qui se per schedam proprio inscriptam sanguine Cacodæmoni consecrarat, scelestum pactum rescidit. Et qui contaminato animo ad coelestis agni accesserat epulum, visus

visus sibi videre sublimè volitantem dēmonem, ad seque  
 dilabi: quietem non habuit quoad animum expiauit. Ab  
 inhonesta consuetudine, patranda cædis proposito, ir-  
 randi maledicendique vsu abstracti complures: loquia  
 odia inueterata: pax coniugum redintegrata, discordia  
 familiæ sedata, ita vt filia fixis humi genibus à parente  
 veniam rogaret. Factæ restitutiones florenorum qua-  
 dringentorum, & minutiores. Vnus vt votum religiose  
 vitæ redderet, alter vt cœnobium repeteret, persuasit.  
 Ad Ecclesiam rediēre triginta sex. Libri hæretici, magici,  
 superstitiosi ad nos relati. Retardati qui Catholicis lo-  
 cis desertis operam hæreticis locare, aut coniugij fidem  
 dare statuerant: parentes item, ne liberos ad hæretico-  
 rum vrbes discendi causa dimitterēt. Introductis in No-  
 focomium exhortationibus, anicularum queritationes,  
 & iurgia verterunt in pacem. Visitati & expiati leprosi.  
 Catechisticę scholę in vrbe sunt quinque, magna frequē-  
 tia cū adultorum, tum maximè puerorum, Aduentu  
 octoni: Ieiunio verno deni in pagos quoque excurre-  
 runt. E duplici coetu Virginis Matris, maiores stipe indi-  
 gos, eruditione ignaros, interque hos hæreticum iuue-  
 runt: corpora castigarunt animos pijs considerationibus  
 excitarunt, edocti modum. Præfecti munus executus est  
 Serenissimus Albertus Bauariæ Dux. Minores maiori-  
 bus, quoad numerum, & probitatem non cedunt, cum  
 eisque pietatis officia pleraque habuere communia: a-  
 gris insuper, mœstisque solatia, dubijs consilia, suppet-  
 tarunt: discordes recõciliarunt, Religiosos defenderunt.  
 Initium factum Bibliothecæ, qua tenuiores iuuentur. In  
 monasteria se abdiderunt ex maiori Congregatione  
 decem, & præterea tres. Serenissimi Maximiliani libera-  
 litate Iurisdictio Eberspergensis amplificata est, capiti-  
 bus sexaginta duobus.

SEDES EBER-  
SPERGENSIS.

**D**VO hæresim abiurarunt; alter etiam religio-  
nem ingressus. Libri hæretici, obscœni, magici  
multis ablatis, & cum pijs commutati. Concio-  
nes is fructus secutus est, vt plurimi totius vi-  
tæ culpas absterferint, nec Eberspergeneses tantum, sed  
etiam aliquot millia passuum distiti, aliqui ex diuinis cõ-  
puli monitis. Non pauci nocturna itinera, quatuor sex,  
decem horarum huius rei gratia fecerunt; alij ob ino-  
piam confessoriorum, & confitentium copiam, in vespe-  
rum expectarunt, vel domum redire coacti sunt, & alias  
redire decreuerunt, vel hic pernoctarunt. Detractio-  
nis vitium pro concionibus vehementer impugnatum,  
iurandi licentia coercita: superstitiones sublata. Qui  
superstitiosis precibus celebre nomen, amoremque om-  
nium sibi conciliarat, sanctè recepit se ijs nuncium re-  
missurum, cum quantacunque iactura. Plurimi à libi-  
dinibus ad honestatem adducti. Pellex vni adempta;  
aliae duæ suos sectatores relicturas certo promisere. In-  
iuriæ graues condonatae: conciliati dissidentes; abusus, &  
peruersæ consuetudines cum sanioribus commutatae.  
Res aliena ad dominos redijt. A terroribus Dæmonum,  
remedio confessionis, & cerearum Agni imaginum li-  
berati aliquot: alij ne sibi alijsque manus afferrent, ab-  
sterriti. Pueri Christianam doctrinam alacriter hauserunt.  
Curiones ad munus suum rectè fungendum instructi.  
Visitauimus ægros, cum ab his, et à valentibus obnixè cū  
lachrymis sublatisque cælo manibus rogati, vt morituris  
assisteremus. Parochi vicini cum deprecandæ pestis huc  
venissent

venissent

venissent suos ad confessionem, & communionem hor-  
tati, præiuerunt exemplo. E pago eadem lue correpto,  
cui congressus hominum interdictus fuerat, quo ad  
nos venere, Sacramenta percepturi, Diuumque Sebastia-  
num precibus fatigaturi, ex eiusque caluaria villum li-  
baturi, immunes à contagione fuerunt; non ipsi solum,  
sed etiam domestici: tres familiae quae venire neglex-  
rant infectae sunt. Huius miraculi fama vulgata, supplic-  
ationes consecuta sunt viginti die, & in vniuersum  
plures centum viginti. Ad triginta millia hominum con-  
sentur adfuisse: solo dedicationis die plus quindecies  
milleni. Coepta consuetudo, ut peregrinatores prius non  
abeant, quam peccatis abolitis, pane Angelorum, refi-  
ciantur. Nemo qui vouisset hic se, Sacramenta obiu-  
rum, peste vel extinctus est, vel tentatus. Qui non in tem-  
plo nostro, sed domi à parochis veniam peccatorum, &  
Eucharistiam perceperunt, etsi huc postea venerunt, ni-  
hilominus plerique morbo absumpti. Boues, aliaque mu-  
nera Diuo Sebastiano ex voto persoluta. Sacra suppel-  
lex aucta duobus vexillis, capitibus, è Societate D. Virtu-  
lae quaternis: tribus monstrantijs, cenotaphio Christi.  
Ad magnos quadraginta sex cereos accelsere quini, vni  
ex cera candida viginti quinque, alius triginta quinque  
librarum.

EXCVRSVM in arces nobiliu, & varia oppida  
vno duos menses Parochi vice functus, confessiones prope  
quadringentas audiuit. Noster, in his trecenas de tota  
ta. Quamcumque domum solandi agros ingressus es-  
set, statim aliorum vndique concursus tactus, aliquando  
lutare audiendi cupidorum. Ex decem quos grauissime  
agrotantes viatico sacro muniit, nemo è vita discessit.  
Alibi à lustratione immaculatae Virginis vsque ad Cor-  
poris Christi versatus est idem Pater, tanto cum fructu  
ut ex nouem locis eius audiendi, causa confluerint, &  
multa

multa collaturos inter se conuenerint; si eum retinere pro Curione possent. Confessiones plus quadringentas excepit: dimidium harum vel ab incunabulis. Ieiunio verno dominicis diebus ante meridiem alibi, post domini concionatus demum Catechismum rursus alibi docuit: reliquo ferè toto anno duobus diuersis locis operam posuit. Templum alicubi ruinosum vt reficeretur effecit, procurata magna pecunia.

## COLLEGIUM AVGVSTANVM.

**S**OCIETATI adscripti tres: populum pro concione erudierunt anno toto quaterni, aut quini. Sacrarum virginum Collegium adhortationibus ad religiosam vitam institutum renendum excitatum. Rudimenta Christianae doctrinae tribus locis explicata. Pontificis auctoritatem damnato Lutero agnouere ultra quadragenos: in his patricia hoc nomine a suis diu multumque vexata: & è malo coruo bonum ouum Prædicantis filius: miles insuper inuitatus ad Principum aulas, & custodiam corporis; maluit certa stipendia, quam certam Religionem deserere. Ancilla fidei causa extrema quæque perpessa; eiecta domo, sine herede, ære, vicis oberrare coacta. Altera præterito anno apud Lutheranam familiam per sanctiora tempora carnibus vesci compulsæ, hac Quadragesima tota, quamuis domesticis occupata laboribus, semel tantum in die cibum sumpsit. Verbera aliam à veritate auertere non poterunt. Alia ex Catechismo eam hauserat pietatem, vt domi statis horis B. Virgini coronam legeret, Hæreticis

adeo aliquando indignantibus, vt rosario vi extorto, ori-  
 que intorto cruentarent innocentem. Opifex vt carni-  
 bus abstineret, suo sibi ære diurno cibum comparavit  
 alius iure, & olere ieiunium toleravit. Confessiones etiã  
 à sedecim miliaribus institutæ; corporis quoque me-  
 bis nonnunquam curatis. Odia sopita. Coniuges concu-  
 liati. Nouum spectaculum Sodalitas B. Virginis populo  
 præbuit, cum in æde nostra flagris terga diuerberant,  
 Hæreticorum vox hæc fuit: Iesuitas quotannis novas  
 artes excogitare ad populum inuitandum. Ad supplica-  
 tiones annuas accessere noua signa, opificumque Sodalita-  
 tates. Festo corporis Christi Episcopus sacram hostiam  
 gestauit in pompa, raro, charoque quibus, ingrato hoc  
 spectaculo. Preces decem horarum belli causa suscepit,  
 tota æstate quot hebdomadibus continuatæ, nostræque  
 in templo quater peractæ. Accessit in æde maxima Ep-  
 scopi celebratissima inauguratio, intra cætum viginti an-  
 nos Augustæ non vifa. Noster inter eam cœrimoniam  
 concionatus, vnã cum Patre Rectore ad epulum adhibi-  
 tus, multa cum amoris erga nos significatione. Poëma  
 formis æneis inscriptum, Sociorum nomine Principi de-  
 dicatum. Aegros, affictos, vinctos nunquam destrui-  
 mus. Rei nos è carcere mox ducendi ad supplicium, prius  
 complexi quàm vincirentur, nec bibere nisi quod Pater  
 porrexisset, & iussisset voluerunt; gratiasque egere Magi-  
 strati ob sententiam clementer in se latam; & morte  
 constantissimè obierunt. Pater eam alacritatem in eis  
 solandis adhibuit, vt hæretici partim ebrium dicerent,  
 partim in suas cathedras concionatorem optarent.

EXCVRSVM in illustrium hominum arces, & Mo-  
 nasteria; conciones, adhortationesque habitæ, confiten-  
 tium peccata expiata. Serenissimus Maximilianus Bava-  
 riæ Princeps à Senatu inuitatus in urbem, apud nos de-  
 claratis beneuolentiæ argumentis, rem diuinam audiit.

Gymna-

Gymnasiū nobilitate claruit & numero. Aucta Sodalitas B. Matris, quindenis simul susceptis, ē quibus 4. pluresve Religiosorum familijs se adiunxerunt. Fuit qui in nuptijs nunquam ad saltationem potuit propelli; qui iurandi in alijs vsū emendauit publicē, in officinis hæreticorum, & osculis terræ impressis coram expiauit. Nonnullos ad Sacramenta decimo quinto quoque die obeunda induxerunt. Publicatæ symbolæ Virgilianæ, vel hæreticorum testimonio plurimum commendatæ. Senatus cui opus est inscriptum, ducentos Collegio aureos donauit, vicena quina ligni plaustra Gymnasio quotannis assignauit. Repurgatus etiam prodijt Martialis. Donaria ad Christi cunas fuere crux argentea, calix cum argenteis ampulis, aurei decem. Liberalitas Fuggerorum in Prouincialem conuentum Patrūm fuit munifica: vinum, farinamque submiserunt non paruo numero. Impetratum pro Catholica plebe, quæ cum hæreticis mixtim ægrè patiebatur se humari, coemiterium, ædificatumque.

## MISSIO MIN- DELHAIMENSIS.

**M**ISSVS eò rogatu Illustris Domini Christophori Fuggeri, cui oppidū maiorem partem subiectum est, qui administraret rem diuinam per sanctioris ieiunij dies extremos, dum idoneus Pastor defuncto sufficeretur. Antequā in publico aliquid tentaret, in elephantiacorum domo viris quinis pedes lotos osculatus, singulos munere affectos ad morbi patientiam, vitæque spem æternæ excitauit. Mox coetum Clericorum celebravit per speciem ne in coetum à Romanis discrepanti; re autem ipsa



vt munere Sacerdotum exposito, omnes ad officium faciendum admonerentur. Multa emendata in templo præsertim tumultuosi streperiq; , & insolentes inter matutinas preces fremitus. Qui confitentibus aures præbât, docti singulis singillatim nõ turmatim, vt cõsueffer, operã dare: & hæreticos (quorum syllabus eis exhibitus) non absoluerẽ. Quotidiẽ habita concio, vel Catechẽm tanto concursu vt apparitoribus opus fuerit, ne altaria conscenderentur. Deni nouem hæreses detestati, inter quos duo, quæ improbarent capita Religionis scripto tradiderant oppidi Præfecto. Disputabat alius per conuiuia contra veritatem: alius etiam coetus cogebat, & hæresim ita propagabat, vt putaretur oppidum ad Itheri impietatem traducturus. Iussus anno superiore capitula sententiæ suæ Magistratui edere: id adscriptionibus in speciem tam firmis præstitit, vt Parochus nihil quo refutaret inueniret: ille mirum in modum se iactaret, aggressus hunc domi suæ Pater, disputationeque ad binas horas prolata, tandem contumaciam hominis fregit: volumina vnde pestem hauserat extorsit, abstulitque: quod primùm indignissimè tulit, Patremque secutus in via publica sibi per summam iniuriam sua auferri querebatur: nec cessit pater, hominemque eò deduxit, vt veniã de hac ipsa iniuria publica deprecaretur fidemque haud sine testibus Catholicam profiteretur. Patrem assidue sectaretur, amaret, vt salutis auctorem diceretque diu, multumque se desiderasse tempus, ut erudito de re Christiana conferendi, ac vehementer gaudere, quod diem illum cum Abrahamo vidisset. Magnum hic momentum ad cæteros vel in viã reducendos, vel confirmandos attulit. Huius hospes (fuit enim ille de quo dixi, inquilinus) tanto Patris odio imbutus erat, vt Sacramento confirmaret, se vocatum inuocatum nunquam ad eum aditurum. Audiit tamen cæterorum con-

cursu ductus concionem, illicoque percussus vi orationis, secundum rem diuinam Patrem fecutus, veniamque precatus Ecclesia se subiecit, conuersa in inquilinum erroris magistrum iræ, quem licet iam nostra sequentem, domo pellere constituerat, & ni Pater intercessisset, pepulisset. Pater familias Anabaptistarum labe infectus credebatur. Institutus priuatim a Nostro se, familiamque ei expiandam commisit, rogauitque vt Parochum ibi ageret se pro decimis quintas soluturum. Alius de purgatorio quaesitus quid sentiret: Satis, inquit, hic purgamur, & vrimur, nihil opus est alienis, & extramundanis ignibus, concessit tamen in Patris potestatem. Conciliata odia inueterata. A diuinis ministerijs quinquennium abstinuerat alter. Vocatus vterque ad Patrem pacis arbitrum, iurgijs eò vsque certarunt, vt ægrè manus abstinerent, nec Pater hortando proficiebat: ergo illorum se ad pedes abiecit, rogatque per supremi Numinis clementiam, per Christi pro genere humano fufum sanguinem: fregit superbiam submissio, reditumque ad concordiam. Inclutus Calicumtraho exhausto marsupio à cauponis omnibus exclusus, à coniuge, & liberis clam fugam meditatus, Sacramentorum multis annis expers, deletis per confessionem maculis, etiam priorem vitæ maculam deleuit, receptus à Magistratu in gratiam. Vir primarius subito, & sine expiatione extinctus multorum animos ad delicta iuuentutis retexenda permouit. Cenotaphium Christo nobile excitatum, adhibito coetu Angelorum, è volumine pio maximæ hominum frequentia opportuna prelegentium. Cognitum est populum pietati, & officio copiose satisfacturum, si magistri morum, Sacerdotes suis partibus non deessent. Repurgatum squalens instrumentum sacrum. Etiam pagani ad Sacerdotem nostrum partim sua, partim suorum confluxere causa: dissidentes à Parochis inducti culpam vt deprecarentur. Cum Magi-

fratu acta causa, & obtenta viduæ, cui defuncto marito creditores abstulere omnia, etiam cunas, excusso inde infante. Sacerdotibus de pecunia per collectiones à Nostris nullam recipientibus (sexcentos addiderant) detracta, satisfactum. Inventuti doctrinæ Christianæ operam danti, impetrata diligentia incrementa munuscula: vagi per id tempus coerciti, perque Ministrum publicum in templum deducti. Nosocomia illustrata, expiataque. Sub discessum Pater ad solenne epulum à Senatu invitatus, & rogatus vt maneret in oppido, desertum Patribus Monasterium assignatum iri. Populus in noui Magistratus creatione frequentissimus ad curiam aduolauit, territo Senatu, & quaerens qui d' esset, Patrem in Parochum consensu communi-  
cavit.

## COLLEGIUM RATISPONENSE.



**B**IT vnus è Nostris Zacharias Schmaddeei iuuenis magnæ & virtutis, & spei: cum quædam è suis discipulis peste laborantem ignarus inuississet, eadem lue correptus memoria patientiæ, & pietatis dedit specimina. In Societate allecti duo ab hæretica perfidia ad Ecclesiæ gremium rediere plures quadraginta. Communicantium fuerunt trecenti supra quater mille. Auxit numerum serpens fœda per urbem lues. Catechesis ex D. Cassiani in nostrum templum translata, vbi commodius, & quietius omnia ætatis homines erudiuntur. Catechisticam lectionem qua palpabilis cæcitas Hæreticorum demonstrabatur aduersarij scriptam petierunt, & impetrarunt: adre-  
sponden

spondendum rana Seryphia taciturniores. Patris Facij  
 de mortificatione libellus, & Martyrologium Roma-  
 num in vernaculum conuersa: rationes Patris Edmundi  
 Campiani nostra opera recusa: nonnihil de integro con-  
 tra aduersarios scriptum, legiturque passim magna cum  
 voluptate, & approbatione. Pij meditationibus exculti  
 quatuor in his Abbas adeo hoc orandi genere inflam-  
 matus, ut optarit per mensem se posse continuare. Tres  
 alij ex Parthenico coetu fuere, quorum vnus Cappucci-  
 norum familiae se adiunxit: alij duo aliam Religionem in  
 votis habent. Aegris etiam ytilis opera praestita, in quo  
 genere duorum maxime Patrum virtus enituit, qui gra-  
 ssante contagiosa lue, posthabito omni discrimine, in au-  
 xilium quorumuis aegrorum sese lubente animo deuo-  
 perunt. Rusticus maleficijs adeo oppressus, ut insana co-  
 silia mente agigaret, a quodam Nostro orationibus, ieiui-  
 nijs, exorcismis, & similibus pijs exercitijs, adhibitaque  
 sancti VVolfangi stola ita adiutus est, ut vox diu inter-  
 clusa in laudem Dei erumperet, aegerque magnum  
 se inde leuamen sentire testaretur. Nec rei derelicti-  
 dum ad supplicium raperentur, magno & morientium,  
 & spectantium bono. Libri magici extorti, & exusti.  
 Iniqui contractus rescissi. AEs alienum restitutum.  
 Nouus Antistes recens inauguratus, in aula Gymnasij  
 exceptus magno spectantium applausu, & iuuentutis  
 commendatione. Discipulis stragem, Musis silentium  
 indixit non tam pomifer, quam pestifer autumnus.  
 Gymnasium clausit non sine gemitu adolescentum,  
 atque dolore: confessione, communionem, ardentissi-  
 misque ad auertendam pestem precibus postridie,  
 qui fuit natae Virgini facer, susceptis.

AVCTVS & ornatus coetus Parthenius duobus  
 summæ ædis Canonicis Theologis, quorum alter, & De-  
 canus, itemque tertio iureconsulto Reuerendissimi Episco-

pi consiliario. Per triduum Hilariorum supplicationes ad  
 diuersa tēpla instituere & bis orationem viginti horarum  
 reliquo anno, adiunctis etiam flagris, vnde non exiguis  
 animorum motus secutus. Priuatim etiam feruet studium  
 orandi. Quidam pijs meditationibus multas horas, vna  
 integram noctem impendit. Inedia, cilicijs, flagris poena  
 supra modum sunt vsi. Sodalis vir honoratus obiit ipse  
 propemodum hora, qua sponsa eius secunda, nuptiali  
 pompa urbem ingrediebatur; sepultus est more Sodalium,  
 habitu tam graui & lugubri, vt qui non tumulum  
 sed thalamum honoraturi aduenerant, optarint hoc  
 piū agmen depictum auferre, vt suis domi tanquam  
 rem memorabilem exhiberent. Præpositus summi templi  
 mortis vicinus Patri congregationis confessus, impetrauit,  
 vt in album Sodalium inscriberetur, & eorum more  
 sepeliretur. Legauit is Congregationi trecentos aureos.  
 Alij item quadringenti aurei ex quodam testamento  
 Congregationi applicati. Canonicus, isque Sodalis et-  
 dem quinquaginta legauit. Parochus itidem Sodalium in o-  
 ratorio altare elegans faciendum curauit, & calicem, at-  
 que ornatum. Aræ B. Virginis in nostro templo trecentos  
 aureos donauit Quirinus Lepinus Ecclesiæ Cathedralis  
 Decanus, summo altari ducentos Doctor Adamus  
 Orth Præpositus legauit: alius quidam Canonicus, tem-  
 pli vestibulum construendum curauit.

EXCURSIO IN SYL-  
VAM BAVARICAM,  
& alia loca.

**V. B. FINEM** Quadragesimę missi Sa cerdo-  
te duo, conciones, & Catechismum habue-  
res magno omnis ætatis, sexusque ardore.  
Correctus mos, quo populus alicubi ipso sa-  
cra synaxis perceptæ die, pleno agmine ad tabernam  
contuere solebat. Alibi a iacra communione subito ve-  
lut furis acti è templo se proripuere omnes, Sacerdote  
nostro, & ædituo solis inibi relictis. Causam eius religio-  
nis roganti responderetur certum id esse apud omnes se-  
cundiori fortuna, qui ita repentè erumpent toto anno  
vfuros, sinistra vel raro, vel nunquam. Ergo ex tempore  
ad Ecclesiam campanæ signo reuocantur, reuersis tur-  
pissimus error grauissimis verbis obijcitur, atque vt idem  
absentibus significant, præcipitur. Ab hæresi absoluti vi-  
ginti, & vnus, quos inter vnus iam destinatus buccinator  
verbi, cumque illo alter Calvinianæ sectæ affecta, post-  
quam ter acerrimè esset disputatum, errores suos agno-  
uit, fidem professus, peccata confessus, Eucharistia refe-  
ctus est. Insignis etiam coniugis cuiusdam præfæxi con-  
uersio, adiuta procul dubio mariti precibus, voti causa  
tum B. Mariam Oeringensem inuisentis. Post multa ver-  
ba vltro, citroque facta, sublati in cœlum oculis, admo-  
tisq; pectori manibus, Nunc, inquit, cedo manus, & peni-  
tus me dedo, & obnixè rogo vt me V. R. vno, alteroq; die  
in fide Catholica instruat, cui me, Ecclesiæque in æuum  
subijcio. Graues sedatæ lites, & causa composita maxi-  
mi momenti, inter primates, qui ex inimicis facti sunt a-

micissimi, & magnum alioquin animarum erat securum detrimentum. Confessiones exceptæ mille quadringentæ quadraginta sex, in quibus generales nonaginta octo. Vna ferè vox omnium fuit miseros se fuisse hæcens, futurosque miseros ni de sanctiore ipsis Parocho prospiciatur. Maritus cum vxore longum iter Confessionis generalis causa susceperat, affirmavit se ab annis iam quindecim tam graues sustinuisse antiqui hostis afflictiones, vt intempesta nocte facile centies lecto excitum per cubiculum circum agitauerit, fauces quasi obstruxerit, caput corpusque totum ad parietes alliserit, tantum non omnino extinxerit. Confessus tantam se mentis tranquillitatem, gaudiumque sentire assererat, vt sibi renatus videretur. Traditam insuper rectè deinceps viuenditionem calamo excepit, & sumpto Christi corpore, gratijsque ingentibus actis abiit. Inuenti qui tribus, vnicini, aut quatuordecim annis animum pœnitentiæ sacramento non expiassent. Duarum prostitutæ pudicitia foeminarum facta conuersio. Religiosus cuiusdam Monasterij penè primus, quadraginta tres iâ annos professus, à firmissimo deferendæ religionis proposito reuocatus. Actum, viris magnis tollendi scandali causa obnixè rogantibus, cum duobus Prælati, consiliumque datum quæratione suos in officio continerent, præcipuè vt paupertatis votum seruaretur, Monasterium clauderetur, Religiosi secularibus bono exemplo forent. Consilium animis accepere libentissimis, pariturosque polliciti sunt, immortalibus actis gratijs. Accepti in summa sunt Nostri popularibus, Parochis, nobilibus plerumque humanitate, agrèque dimissi. Alias Parochorum vices crebro obibat, conciones, & Catechismi habiti, confessiones multæ, & generales aliquot exceptæ: duo ab hæresi absoluti. Crenobiarcha Breuiarium, & Missale Romanum cum omnibus carimonijs in sui Monasterij chorum introdu-

cturus,

Sturüs, vnum de nostris impetrauit, magnis precibus qui se suosque ea in re ritè institueret. In digressu habito exhortatio ad totum conuentum præsentè Prælato.

## COLLEGIUM OENIPONTANVM.



D opem Gallicanæ Nostrorum calamitati ferendam à domesticis nonnullis, horæ in oratione positæ quadragenæ: alia quotidie addita, consuetæ scilicet matutinæ preces, præter dinexationes corporum varias. Conciones cum reliquis consecutus est fructus, tum reuocatum vetus institutum solemnium supplicationum, quæ neglectui, contemptuque esse cœperant. De morte, inanique sæculi fastu habita concio, ad eò placuit, vt ad nobilium hominum efflagitationem res latius explicanda fuerit, alijs de eodem argumento adiunctis concionibus. Catecheseos in nostra, & Diui Nicolai æde solitus est fructus. Apud nos sacrosancta mysteria perceperunt quater decies mille treceti, & amplius. Omnium à pueritia peccatorum repetita confessio sexages, & septies, ad Catholicorum castra translata duo. Increbrescit in dies mos ille, exemplo haud vulgari præeuntibus hoc anno nonnullis, in ordinem procerum regiminis ad discendos, qui vt officij suscepti fidem dent sapius vitæ noxas confessione delent. Venere huc ex locis longè distitis peccata expiaturi, abire tanto lætitiæ sensu, vt redire sapius statuerint: corporis quoque subinde salute recepta. Spes addita desperantibus: animus nocturnis terrore timoribus. Vanus mos, vt qui lugent, tricenos dies domi se contineant, templi accessu prohibiti, aboleri cœptus, quod plus commodi vita functis è sacrorum frequentatione



accedat. Effectum, ut Patrini eorum quos è sacro fonte susceperunt, in fidei rebus docendis curam gerant. Ut Bacchanalium licentia supprimeretur, cum primabus regiminis priuatim, cum populo publicè pro suggesta actum, & peractum. Libri Hæretici, superstitiosi, foedi, magno numero erepti: iniqui contractus correcti, iniusti census sublati. De rebus ambiguis, responsa, & consilia Parochis data familiari sermone, piorum admista lectione libellorum adducti multi, ut templorum, sacramentorumque essent studiosiores: id tum domi, tum apud egros sanis adstantibus factitatum. Cognatis per maleficium ægro sanitatem restituere paratis restituere nobiles matronæ apud nos peccata deponere solitæ, & nostrum clam accerere, qui cum per speciem intusendi dissimulater venisset, mala medicandi ratione à presentibus narrata, omnes ab eadem absterruit. Opera præstita suspendiarijs. Vni confessionem pertinaciter respicienti Noster tota nocte precibus intentus impetrauit, ut sequentiluce, singulari cum dolore vulnera conscientiaë aperiret.

ILLVSTRISSIMVS Philippus Spinellus Archiepiscopus Colossensis Apostolicus, ad Imperatorem Legatus, in templo nostro sacris operatus, prædium in domo sumpsit. Moratus in vrbe dies aliquot, sæpè cum nostro egit amicissimè testatus se vnicè optare, ut domo nostra varijs prærogatiuis ornata, suam Societati benevolentiam posset patefacere. Se paucis annis, quibus Antistitem egerat, succubiturum sæpè fuisse, Nostri opera non adiutum. Aliam Ecclesie faciem apparere, vbi Societas nulla haberet domicilia. Eadem se lanquæ ponderare, Societatis conturbationes, & Ecclesie sue causas earum, siue vtilitatem, siue auctores intueretur. Toties magnum animo suo de peccatis dolorem exortit, quoties B. P. N. Ignatij vitam lectitaret. Indulgentias Marianæ Sodalitati tributas confirmavit, & auxilium, elegant

ganti carmine ab eadem salutatus. Quin & ipse cum nepotè Theologo atque auditore in catalogum adscribi voluit, quod idem præstitit Reuerendissimus Episcopus Chiemensis, Societati in primis addictus. Primores Regimini consilijs nostris vtuntur frequenter. Vnus centenos nobis aureos obtulit, totidem alius legauit. Ad facram suppellectilè accessere vestis sacrificialis aurata pallia tegendæ Eucharistiæ pyxidi, prægrandes tabulæ duæ pictæ, diuorum reliquijs refertæ, & vexillum in solemniū supplicationū vsū. Scholastica iuuentus nobilis & copiosa, exercitationes litterarię celebres, Partheniorum feruor elucet, corpus crebrò castigatū, humo pro cubili nonnunquam vsi, indoctos docuere, peccantes emendare, æternas pœnas pariter, & delicias plurimis explicare, pro animabus purgatorij frequenter precati, sacramenta, supplicationesque frequentarunt. Absentes è multis milliaribus ad menstruos patronos accipiendos ventitant.

## COLLEGIUM HALLENSE.



**A**D Societatem admissus vnus. Exercitia spiritualia tradita Sacerdoti. Urbanus concionator tanto cum prouentu diuinum seminavit verbum, vt consentium communicantiumque numerus in singulos propemodum festos dies augetur, & vt Natalibus Christi trecenti amplius, quam superioribus annis numerarentur. Habuit etiam præter consuetudinem conciones extraordinarias in nostro templo. Alius apud vicinos rusticos concionibus toto ferè anno habitis, consecutus est, vt cum post hominum memoriam

riam nemo extra pascha, pœnitentiam, & Eucharistiã  
 suscepit, hoc anno ad Natalem Domini, Pentecostes,  
 Assumptionem B. V. id fecerint non pauci. Maioribus  
 nio præter confessiones auditas tradidit Fidei Chri-  
 stianæ rudimenta, ægrotos visit, & sacro viatico, solatijsque  
 confirmavit. Hominem à turpi concubinato absterruit,  
 falsorum dogmatum libros ab offerentibus accepit. Su-  
 pellectilem sacram, sua industria auxit, ornavitque, ani-  
 mos hominum sibi mirificè deuinxit. Habitæ & aliæ co-  
 ciones extra ordinem rogatu Parochi præsertim, morbo  
 thermisq; impediti. Catechismus domi toto anno, foris  
 duobus in locis sacratori tempore doctus. Visitati æ-  
 gri, captivi, elephantiaci. His etiã Pœnitentiæ, & E-  
 charistiæ sacramenta ministrata. Captivus post confi-  
 sionem, communionem, cæteramque instructionem falsus  
 est, si sibi puero tales vitæ formatores suppeditasset,  
 nunquam futurum fuisse eum in locum ut conjiceretur.  
 Ante supplicium petita propalam venia, infami suo exitu  
 iuventutem à criminibus absterruit. Obitum frequen-  
 ter Nosocomium, egris non tantum animorum, sed etiã  
 corporum medicina adhibita, & stips emendicata. Vnus  
 Extremæ unctionis, quem horrebant, aut nimum pro-  
 crastinabant persuasus. Exempta marito non satis sanæ  
 mentis falsa de vxore opinio, cuius causa eam ne aspectu  
 quidem dignabatur suo. Invidia, & odij restinctis ami-  
 citiæ redintegratæ; pax inter sex coniuges, quorum inter  
 duos nihil erat proclivius, diuortium quàm ut facerent.  
 Duo qui perpetuis rixis conuitijsque alebant odij flammam,  
 dextras, veniamque mutuò dederunt. Afflictus  
 & plus æquo anxius, etiã ex locis longè distinctis  
 erecti. Fœmina, à Dæmone multis annis, noctu cultro,  
 gladio, lapide, aut flammis velut à dracone eiectis peti-  
 visa, confessionis opediberata. Alteri consilium voluntaria  
 necis ademptum. Confessiones generales audite  
 quadra

quadraginta quatuor. Duo ex consuetudine mulierculæ; tres ex adulterijs multorum annorum emerferunt. Curionibus ad moti stimuli ad officium ritè exequendum. Non pauci per speciem familiaritatis ad vsum Sacramentorum vel legitimum, vel frequentiorum; ad nomen Sodalitio B.V. dandum inducti. A superstitionis carminibus, & curationibus, veneficarum consortio, illicito carniū esu abstracti nonnulli. Distributi Agni Dei contra Diabolicas technas magno numero, quod eorum experta virtutem mater in difficultate partus, magnum in ceteris desiderium excitavit. Libri prohibiti à discipulis, civibusque nobis traditi, postquam in eos inuecti fuimus. Discipuli quo pauciores, eo diligentius à Magistris excoluntur. Sodales B.V. etsi magna ex parte pueri, ea præstant, quæ pastoribus animarum ex officio præstantibus laudi darentur. Episcopi Brixinensis Vicarius in reparanda Monasterij cuiusdam disciplina, auxilium nostrum coram petijt. Adiunctus ei cum Socio Pater, exhortationes ad Monachos, conciones ad populum habuit: Confessiones etiam generales excepit. Duorum Monachorum distractos reconciliauit animos, flexis ipse Prior genibus, exemplum ambo eius imitati sunt. Alium ad primum sacrum exercitijs præparavit. Dono nobis dati calices argentei inaurati duo, casuleque quinque præter florenos quinquaginta, & multa preciosa aræ ornamenta.

DO

# DOMVSLAND. SPERGENSIS.

**E**XERCITIIS spiritualibus operam dederunt è Nostris duodecim ex varijs Collegijs post studiorum distractionem missi. Obiére Nouitij duo, alter Onophrius Winter dysenteria: Alter qui ei ministrat ab illo contracto morbo ( vt putatur ) pestifero sublatus est apostemata. Itaque terni varijs itineribus Eberspergam, & ad alia loca dispersi sunt, vt aeris mutatione à se domoque periculum declinarent. Deo sanè & Diuo Sebastiano Eberspergensi, cui pro communi salute nostra votum impetratum, acceptum referimus, quod malum hoc cum illo vnico extinctum fuerit. Horum duorum iacturam compensarunt tres hìc suscepti, & ex alijs Collegijs nouemdecim. Inter quos aliqui viam ad Religionis ingressum varijs difficultatibus implicatam forti animo superarunt. Vnus cum parentibus luctatus biennium est. Quem illi domum auocatum asperis verbis aggreduntur, minas intentant, nihil non faciunt, quo iuuenis a proposito deflectant: Sic inter sacrum saxumq; consistens in febrim incidit; quam Dei se vocatis vocem interpretatus parere voluit: cui se auunculus eius, vt magnæ auctoritatis opposuit, deque illius constanti periculum facturus, obiectis inter alia varijs sordidissimis opificijs, quæ ei alio, atque alio tempore addiscent forent. At ille se omnia in eo qui ipsum confortaret, posse testatus, victum auunculum manus dare coegit. Alius non obscuris vocationis diuinæ indicijs diu reluctatus, tandem cessit: incendij species ei per somnum fuerat obiecta, voxque audita, eiusmodi flammis ad dicendum fore, ni eas suscepto Societatis instituto propulsaret. Inter

ter reuoluenda hæc Dominicæ orationis verba, Fiat voluntas tua, acrioribus identidem stimulis pressus, petijt tamen vt Dei voluntas in se ad peccata tantum vitanda non Religionis ingressum, fieret. Extraxit demùm rebus fluxis immeritum assidue distillâs in pedè catarrhus, qui omni alia curatione exclusa, non nisi emisso Societatis complectendæ voto sanari potuit.

Dimissi completo biennio ad varia Collegia viginti & vnus. Duobus in vrbe locis per totum annum in pagis tribus per Aduentum, & Quadragesimam doctrinam Christianam docuerunt. Parochi, vt solito citius mitterentur, rogarunt. Mutuam inter se concordiam crebriori Nostrorum aduentui, discordiam tardiori attribuunt. Carceres visitati. Reus noströs primum, nec alloquio nec aspectu dignatus; sensim tamen ad confessionem, supplicijque patientiam adductus.

IN peregrinationibus Nouitiorum nec occasio virtuti, nec virtus occasioni defuit: domi orationis, & mortificationis spectatum studium. Ex stata in Parochiali templo concione magni sæpe animorum motus facti, prauæ consuetudines sublata; multorum vita in melius emendata; enormiora, & diuturno silentio pressa scelera patefacta. Habitæ & extraordinariæ conciones per Aduentum, & Quadragesimam frequenti auditorio. Confessiones solito plures audita: generales septuaginta; cuius rei gratia ab aliquibus aliquot milliarium iter susceptum. Ab hæresi absoluti sex. Nocturnum, diurnumque spectrum dæmonis ignem exspiratis, & morbus caducus confessione depulsus. Concionibus paganis iurandi, & ante finitum Sacrum, egrèdiendi consuetudo correctæ: mos domi quotidie orandi edoctus. Rusticus cum seruum ad integrum Sacrum audiendum adducere non potuisset, omnibus tentatis seruitio exclusit. Infirmus somnio, quo confessionis faciendæ monebatur, paruit, & sani-

tati restitutus est. In alio pago confessione generalis peccata expiarunt omnes. Ad Pentecostes, & Ascensionis communicarunt multi, nouo inter vicinos exemplo. Catechismus ibidem traditus per Quadragesimam, & regnam ætatis partem, multorum ex alijs pagis concun & auiditate discendi.

IN Mindelhain quater itum, ad Illustrem D. Christophorum Fuggerum vbi confessiones multæ in Festo Assumptionis B. V. auditæ. Idem Dominus libros hæreticos inter ciues repertos nobis transmisit.

REMOTIORES quoque missiones vtiliter susceptæ. Reuerendissimus Abbas VVeingartensis lætus de fructu à duobus nostris Patribus per Aduentum collecto, confessionum videlicet quadringentarum, aliosque obtinuit per Quadragesimam. Habitæ conciones ad populum, exhortationes ad Religiosos, & leprosos: horum utrorumque confessiones auditæ, & popularium mille quingentæ. Ex his confessionis gratiâ multi eò ex alijs locis profecti: libri prohibiti ad nos delati. Aeger eò se in sella gestatoria deportandum curauit, vt cum Catholicis reliquum vitæ viuere, & mori posset. Qui ob mentis inquietem consciscere sibi necem statuerant (cultro guttur iam vnus fauciauerat) tranquillitati restituti. Rogantibus ludi Moderatoribus melior in litteris, & pietate proficiendi modus traditus; alia denique multa peracta quibus Reuerendissimi desiderium expleffe videntur. Similia præstita in Kirchaim rogatu Illustris Domini Marci Fuggeri. Beneuolentiam Serenissimi Maximiliani, & Reuerendissimi Episcopi Augustani sumus experti. Abbas VVeingartensis aliquot vini plaustra nobis misit, data vni eò Nostris optione, quæ vellet præstantiora vina eligendi. Vidua quædam anno superiori filium, hoc, centum florenos, casulam, & tria antependia obtulit. Illustris Domina Comitissa, sex agrorum, & aliquot pratorum iugera, præter

præter alia consueta munera, & suppellectilem, domui nostræ adiecit. Comes ipse, auctor huius domus, optimeque de nobis meritis, editis singularibus cum per omnem ferè vitam, tum verò in obitu pietatis, ac patientiæ speciminibus, obdormuit in Domino: tumulatus in æde nostrâ, exsequijs frequentissimo populo, & quàm fieri potuit maximo apparatu persolutis.

## SEDES OETINGENSIS.

**E**XERCITIIS spiritualibus eruditi tres, Religiosus ex longinquo Monasterio, Sacerdos nouus, qui plus tredecim miliaribus hac de causâ potissimum venit, antequam primum faceret Sacrum; Vir nobilis oppidi cuiusdam Præfectus eo cum sensu, vt in digressu officiosè gratias ageret. Concioniones, & ternæ Catecheses ordinariæ, & extraordinariæ certis temporibus, locisque habitæ. Vnde ad Domini Natalem prope mille confessi communicarunt. Sodalitas Annunciatæ Virginis instituta, allectis in eam triginta circiter viris honestis, probis, nobilibus etiam, alibi degentibus, & dignitate vel doctrina vtriusque ordinis spectabilibus. Conuentus agunt sedulò, etiam alios ad S. Synaxeos, & Pœnitentiæ vsus, Christianique hominis officium verbo, & exemplo præeunt. Toto penè anno, si paucos summæ hyemis dies excipias, peregrini huc ventitant, & confitentur. Generales exomologeses exceptæ sexcentæ. Ab hæresi absoluti domi, forisque triginta & vnus. A concubinato cœno extracti complures. Similitates inter coniuges discussæ. Pauperibus impetratæ elemosynæ.



**I N T E R** peregrinos fuere Serenissimus Maximilianus, cum Serenissima coniuge: ornatum sacrum, materia arteque insignem, ædi Virgineæ, in pauperum aliosque pios usus, pecuniam copiosam nostro Patri spertiendam reliquit. Transijt hac & Serenissima Gretensis ex Hispania redux, quò filiam sponsam iam Reginam deduxerat, gratias Virgini de periculis terræ marique vitatis egit, domum, & templum nostrum humanissimè lustravit. Redierunt ad annuam Mariani Scelli dedicationem Landishutani ad octingentos. Magna pars ad multam noctem posteroque mane confes communicarunt. Longum sit perconsere illustra Oetringensis Virginis miracula, quæ peregrini retulerunt, vovis restati muneribus. Ad summam, naufragis portu depositis desperatam restituit valetudinem. Ciborum nostri templi piorum liberalitate redditum capaciùs, oblati in hunc usum, phialis duabus, alioque poculo, & restitum holo serico palliolo. Oblata etiam ferta duo vnionibus, torulisque aureis distincta, quæ festis diebus reliquiarum thecis imponuntur. Pueruli **I E S V** recens nati statuam affabrè sculptam, togulaque serica auro crispante cultam, corolla insuper acu, vnionibusque picta intermicantem obtulit Serenissima Gretensis, duo candelabra argentea, fusili opere cælata, coniux Serenissimi Ferdinandi. His accessere Crucifixi imago argentea, stipiti ex ebena fixa, trunco argenteis emblematis distincta aliaque eiusdem effigies, quæ nunc è medio lacunari omissa pendet, pallium sericum purpureum vermiculatum regendis aris, peplauela, & id genus alia multa.

**B V R C H L V S I I**, quò sæpè excursus est, confessiones ad Pascha auditæ trecentæ triginta, & amplius: ad Natalem, ducentæ quinquaginta. Odi inueterata poenitentium animis euulsa: rerum alienarum redhibitiones factæ complures: superstitiones, & abusus sublati. Ab hæ-

SEDES CONSTANTIENSIS. 397

refi refipuere quindecim. Ad vnicam Sanctæ Eucharistiæ speciem sumendam præmissa fidei professione adducti quadringenti. Ad Pascha auditæ Confessiones mille ducentæ, & quidem generales nongentæ. Sublatus abusus è Sacro nondum finito discedendi: mane, ac vesperi, vel ante sacram imaginem orandi reuocatus vsus: peregrini ita in fide confirmati, vt multi affirmarint, nec leuia dederint argumenta, se morituros potius quam fidem Catholicam cum adulterina commutatuos. Rosariorum vsurpatio, & recitandi modus expositus, & restitutus. Concioniones, Catecheses, pagorum lustrationes frequentatæ. Magnum discedentis Nostri desiderium sensit Præsul, & cum mille trecentis suis ad B. V. Oetingensem supplicatum venit, & cum trecentis confessus communicauit nobis Quadragesimalia esculenta, viniq; dolium submisit.

SEDES CONSTANTIENSIS.

**E**XERCITIIS perpolitici duo, Abbas, & alius Religiosus. Concioniones in æde principe, Monasterijs, alijsq; locis habitæ. Ciues Poenitentia, & Eucharistiæ sacramentis identidem se muniant rei diuinæ, statisque concionibus frequentes adsunt, egenis benigne faciunt, agrotos intusunt, eisdemq; quod ab alijs emendicarunt hilariter suppeditant, libros impios ad nos deferunt, intenti in omnem occasionem, quo Nostri agere liceat cum ijs, qui præ se, suaq; persuasionem contemnunt omnia. Non nemo, vt corrupta cuidam Biblia adimeret, integra tradidit sua. Sub initium noui anni sacris in nostro templo operati Suffraganei duo, alias duo Sacerdotes ibide primas Deo

obtulerunt, praesentibus binis Abbatibus, primisque turba civitatis. Confessiones auditae decies mille trecentae in ijs generales octoginta quatuor. Ab haeresi liberati triginta octo: quos inter vir aetate grauis (septuagenarium eum iudicant) cuius pater haud ignobilis in hac vici quinti Euangelij blatero fuit. Hebraeus honesto inter illos loco natus, artisque Medicae cum primis peritus, a nobis Christiana doctrina imbutus, a Suffraganeo baptizatus. Magnus ad nos Sacerdotum concursus partim Confessionis, partim alterius cuiuslibet opis causa. De doctrina paruulorum, aegrotantium visitatione, & alijs id genus vulgaribus sileo. Offensiones inter primariam familiam exarant ita graues, vt nulla ratione restingui possent, quamquam saepe multis, adeoque ipsis Senatoribus flammam obsistere adnitentibus. Magnum timebatur incendium ni serpens malo per Nostros succurrisset Dominus, pacemque reddidisset ingenti familiae, Senatus, ciuium gratulatione, Societatisque commendatione. Aucta Bibliotheca, instrumentum sacrum calice, casulis duabus, antipendio, florenis centum: aucta & res familiaris totidem florenis, plaustro vno vini, & dimidio.

EXCVRRIMVS euocati crebro ad oppida, & caeces Nobilium, & Comitum, ad coenobia, & pagos loca omnino viginti tria. Aegrotanti Parocho Noster vltimo ad extremum spiritum ministravit, quae ad corpus, ac spiritum pertinerent, eius rogatu parociam nouem mensibus administravit, populum in fide confirmavit, ad Poenitentiam, & Eucharistiam saepius sumendam, supplicationum maiori frequentia celebrandas animavit, primarium rituum confessione expiauit, moribundum, mortuum coactione honestauit, haereticis quoque Zvvinglianae faeculentis ad oues patefactum iter. Vir nobilis, virtute doctrina, opibus affluens, Sacerdoti nostro ad se in arcem euocato non modo peccata, sed omnem viuendi rationem

nem indicauit, vt eius se arbitrio ad Dei laudem, proximi- que vtilitatem totum committeret. Sperandus hinc fructus eo maior, quò latius is imperat, & quo est ad bene faciendum à re paratior, ac animo propensior. Annua in VVeingartensi Monasterio celebritas extitit illustrior, translato Christi sanguine è veteri in nouum facellum mirificè exornatum. Vocatus eodem pater Noster per octiduum, quo festum durauit, quinquies concionatus est, propè incredibile hominum nunc aduentantium, nunc abeuntium multitudine, omnino viginti tria, eoque amplius millia fuisse creduntur.

## COLLEGIUM LVCERNENSE.

**D**E FVNCTVS est Coadiutor, annos in Societate viginti nouem commoratus, homo multæ virtutis, obedientiæ magnæ, contemptor sui, ac rerum fluxarum, celestiumque amator. Alter cooptatus in numerum Coadiutorum temporalium formarum. Quidam ære alieno oppressus, atque ad desperationem propè adductus, fugam, mortem, aliaque facinora meditatus, confessione & consilio adiutus. Monialis Monasterio præposita annos nonaginta sex nata, infans olim ab Vdalrico Zyvinglio Hæresiarcha è sacro fonte suscepta, iam diu nil tam in votis habuit, quam vt ante obitum vni de Societate exomologesim faceret: facta est voti compos cum casu vnus è Nostris transfret, & mense post obiit. Concionum in vrbe, pagis- ue habitatum is fructus fuit, vt multos ad lachrymas, & confessionem permouerint. A Egroti morituri, afflicti, desperati, alijq; tales adiuti. Data salutaria consilia com-

pluribus ut offensas remitterent, cum coniugibus in gratiā redirent, parentibus obedirent, aliāq; officia facerent. Quædam nulla ratione ad animi tranquillitatem remittendam iniuriam adduci posse videbatur: aduersarios ad vallem Iosaphat, Dei que Tribunal prouocare, atque ad hæreticos discessum cogitabat: vnus Nobilium intercessione & iniuriam condonauit, & sacramenta frequentat. Nolo dochium, Xenodo chium, carcer, iniuria. A non paucis consilia voluntarię necis, vel pudicitia presentia propulsata pericula. Virgo ab adultero inclusa, & ad flagitium minis adacta, vulnus accipere, quā obsecrare maluit. Duæ viduę propter liberorum copiam, & egestatem tentatę assensum negarunt, cum nihilominus intraret procax, satiusque diceret vitę, proli que fornicatio consulere, quā fame perire: prius id se facturam negarunt, quā Confessarium consulissent. Venit in urbem leno, magni se cuiusdam Ecclesiastici scribam professus, ideoque missum, ut si quas liberali inuenisset forma, adduceret, incidit in quãdam quę non displicuit, sed neque cum Deo dicatis hominibus quidquam negotij habituram se asseruit. Ille ad alias technas conuersus, sibi in nubat petit, virgo magni nominis hominem rata, consentit: datur annullus, posterus dies discessui dicitur. Dum se parat ad iter venit ei in mentem confessionis faciendę. Confessarius monet, tam citò ignoto ne credat: re diligentius explorata, compertum est deceptorem vxori iam ante alligatum. Ancillę dominorum petulantiam effigere, alij vtriusque sexus a turpi amore deducti diffidit: ob hanc rem excitata, extincta. Effectum etiam, ut opulentiorum copia tenuiorum subleuat et inopiam. Reliquia multę SS. regio cultu exornata a Serenissimo VVilhelmo Bauarię Duce, in hanc urbem missa, & magna cum pompa omnium ordinum in nostram ædem translata.

INVISERVNT nos magna cum benevolentia  
 significatione Serenissimus Albertus Archidux Austriae,  
 & Isabella coniux eius, Philippi Hispaniarum Regis na-  
 ta. Reuerendiss. & Illustriss. Nuncius Apostolicus rem  
 sacram auxit casula: Illustris Dominus Alphonfus Ca-  
 satus Philippi tertij apud Heluetios Legatus Bibliotheca  
 operibus Alphonfi Tostati Abulensis Episcopi in viginti  
 quatuor tomos distributis: R. D. Gabriel Leo Cano-  
 nici Collegij Praepositus, septem tomis prioribus Baro-  
 nij, pollicitus etiam ceteros ubi exisset. Oblata etiam  
 altera casula, calix, pila lapidea artificiosè excavata, cum  
 vase cupreo pro aqua benedicta asseruanda, aliaque di-  
 uersa donaria. Coetus Parthenius vterque discipulorum,  
 & virorum pietate viget. Ad scholas accessere Rheto-  
 rica, Dialectica, Theologia moralis: ad reditus annuos  
 coronati trecenti. Scholasticorum industria enituit, &  
 virtus. Procax lena ad vnus lectum noctu cum irrepisset  
 verbis, gestibus, blanditijs adolescentis animum ex-  
 pugnare aggressa, nec verbis cedens, viribus repulsa est.  
 Per Aduentum, Quadragesimam, aliaque tempora ex-  
 cursum in varia loca; plenariae Indulgentiae à S. D. N. ad  
 decennium concessae pro suggestu promulgatae; confes-  
 siones plurimae exceptae, nec paucae generales. Ab haeresi  
 erepti duodecim, Sacerdos Nostros venturos cum intel-  
 lexisset, omni studio se ad Generalem confessionem pa-  
 rauit, abiecta pellice, qua diu abusus fuerat, susceptoque  
 magno, & difficili ad nos itinere, tanto dolore, & la-  
 chrimarum copia confessus est, vt Noster quoque à la-  
 chrymis vix temperare potuerit. Puella quae ob pauper-  
 tatem aliquot annos vulgauerat corpus, insomnijs, di-  
 uinisque vocibus à Sacerdotis pellicatu absterrita, totius  
 vitae maculas Nostro patefecit. Duae aliae à turpi amore  
 abstractae, à quo se solui posse desperarant.

## COLLEGIUM FRIBVRGENSĒ.



D Nouitiatum missus vnus. Tres Concionatores ordinarij superiorum annorum fructus auxerunt. Multi & à nobis, & à confessione alieniores, Nostrorum opera iam prolixe vtuntur: patiuntur nonnulli partem sibi mercedis detrahi à dominis, vt Concionatores, & Confessarios nostros adire possint. Non pauci gratias egere, de superstitionibus pro concione exagitatis: libros eius notæ, attrilère, aut combusère. Intemperantissimis perporationibus assuetus quidam, & à Nostro sæpius ad frugè reuocatus sua, suorumque salute nil habet antiquius. Mulier à malo spiritu agitari sibi visa, itinere satis longo nos adiit, confessioneque, & communione peracta tranquillitatem recuperauit. Coniuges cum coniugibus, familie cum heris, de concionibus, mysterijs, Sacello nostro frequentando concertant. Virgines, & viduæ ieiunijs ac verberibus corpus afflictarunt. Alia cilicium, & verbera adhibuit, vt consanguineæ pertinacem errorem eriperet. Quædam ægra ad festum omnium Sanctorum confessa, maritum exorauit, vt se in humeros sublatam, montem S. Michaëlis, vbi Sacellum nostrum est, deponeret. Vir scelere onustus ad sacram Synaxim accessit, adhæsit hostia gutturi, vt penè suffocaretur: vouit cum lachrymis integram confessionem, sed deinde in aliud tempus distulit. Nocturnis diurnisque spectris exterritus, ad pia confugit opera: tandem noctu admonitus, postridie Patrem nostrum vt adiret, nisi inferorum siemancipium vellet. Quidam auctoritate nō parua ab in-

amicis nostris ad nos diuexandos inductus: audita concione nostra postridie à Patre veniam precatus, amoremque in nos suum, testatus, emendationem promisit. Acria puerorum sunt certamina, doctrinae Christianae capita decurrentium, non sine applausu spectatorum, & commendatione. Dato ad Infantis Christi cunas Dialogo de pastoribus, lachrymas passim permistas ciuibus exculsere. Aliquot coniugum paria praeter spem multorum in gratiam restituta. Contentio grauis inter duas familias sedata. Quinquagenarius qui ante viginti annos ab uxore diuortium fecerat, & pellicem, ex qua liberos etiam suscepit, substituerat: ad coniugem eiecta pellice reductus. De nocte vir ab impuro spiritu ad impuritatem concitatus, B. Virgini perpetuam vouit castitatem. Infirmis, & captiuis opera impensa. In his adolescens vix quintum decimum ingressus annum, antequam capite plecteretur, singularem praese tulit pietatis sensum, moriendi que desiderium: familiares suos ad officium: Patres familias ad Christianam liberorum institutionem adhortatus, à circumfusa multitudine veniam deprecatus, preces quoque impetrauit. Cum pestis aditum ad Allobrogum montes Gallis Romam peregrinantibus interclusisset, multi Friburgum diuerterunt, Sacramentisque se munierunt. Eiusdem rei causa nonnulli ex sanctissima B. Virginis eremo ad nos venerunt. Quidam adulterij, alius odij flammis ereptus.

FORIS quoque conciones, & Catecheses institutae, confessiones auditae, odia sopita, aliaque officia charitatis praestita: ad quae à magnis viris non raro Nostri reuocati. Alibi effectum ut nonnulli, qui Sodalitium B. Virginis parui antea fecerant, ante Patris abitum numero Sodalium adiungi cupuerint. Numerus poenitentium totius anni fuit sexies mille septingentorum quadraginta quinque: confessiones generales centum triginta quatuor



quatuor. Ab hæresi liberati viginti quinque. Discipulo-  
rum pietas, ingenium, eluxit, & numerus. Sodales B. Vir-  
ginis præcipuo virtutum studio flagrant. Orandi, medi-  
tandique laborem cum carnis petulantis afflictione,  
prauarum cupiditatum moderatione, in Deum, & proxi-  
mum charitate coniungunt. Liberalibus in Sacello no-  
stro duodecim horarum preces celebrarunt. Quidam no-  
cturnis imaginibus ad turpitudinē allectatus, castris ac  
voto B. Virginis edito tentationū aculeos obtudit. Alii  
exardescēte libidine in niues se abiecit nudū. Mitto in-  
diā, verberum, ciliciorum asperitates. Sceleratus vi-  
quendam ad grauiora flagitia excitabat: huic acriter re-  
sistenti cum instaret ille, implorata Superum ope, succu-  
buit tandem nequam, & rubore suffusus discessit. Quis  
corporis pulchritudine, & vano cultu elatior, salubra  
monita aspernabatur, sed adito B. Virginis Sacello, hu-  
militatis inde hausto spiritu, vanitatem detestatus, in  
lutum se abiecit, gregalibus illudendum obiecit. Alius  
suas corporis dotes suspiciens, in locum mortuorum  
caluarijs afferendis dedicatum descendit, earum oscu-  
lo, & seria meditatione, quam caducæ sint res morta-  
lium, in suæ cognitione despicientiaque nō mediocriter  
profecit. Floruit & virorum cœtus quatuordecim capi-  
tibus auctus. Aucta & sacra suppellex nostra reliquijs SS.  
& duabus lipsantheccis perquam pretiosis, quarum al-  
teram Serenissimus VVilhelmus Bauariæ Princeps nobis  
misi: oblata & alia dona, præsertim calices, & alia  
operimenta.

---

**COLLEGIUM  
BRUNTRVTANVM.**

**H**AERESIM detestari sunt 5. quos inter fuit, qui sanus nullam sanæ fidei cogitationem admittebat: agro pertinaciam vix tertia Patris nostri visitatio, & indefessa redeuntis, reditu-rique charitas eripuit. Foemina ostentatam à fratre hæretico maluit aspernari opulentiam, quàm cum pauperie Catholicos deserere. Matrona vrgente viro, vt hæreticorum in loco hæretico nuptias sua præsentia cohonestaret: respondit dissuadenti Confessario se parituram, & alia omnia perpeffuram potius, quàm imperata facturam. Ciues & amore Nostri, & Sacramentorum frequentatione proficiunt. Peregrinus nocturno commotus monitore, Bruntrutum in ciuitatem sibi minimè notam veniret, & aliquem de Societate IESV conueniret, confessus lætitiæ operæ pretium tulit.

**SODALITAS** Partheniorum nobilitate illustris est. Pridie Parasceues duodenis pauperibus pedes lauere, epulum præbuere: totidem horas ad sepulchrum Seruatoris precati: alios ad probitatem rationemque excutiendæ ante somnum conscientiæ erudierunt: à iuramentis, & impuris sermonibus feliciter cohibuerunt: ægros viferunt, asperitatem in sua corpora exercuerunt. Pauperum studijs prospectum, impetrata multis elemosyna quotidiana non parua. Floreni insuper annui in eam legati rem octoginta, & cum fructu collocati. A Nobilibus viris vocati Nostri, conciones habuerunt, confessiones multas audierunt.

MISSIO

## MISSIO PON- TARLIACA.

**P**ONTARLIACVM Burgundię per Adventum, & Quadragesimam missi duo, alter quotidie, excepto Sabbatho, semel: die vel Dominico bis concionatus: alter quotidiana Catechesi parentes, liberosque ad officium Christianam confessionemque ritè peragendam instituit, nec fructu turmatim hospitij fores occuparunt plerique, & Nostros manè domo egredientes operiebantur: vt certus peccantium numerus iniri non potuerit. Iurandi consuetudo abolita. Contractus ad ius, & æquum summa feneratorum voluntate reuocati. Mos recitandi rosaria institutus, vel restitutus. In nobilibus, cæterisque vtriusque sexus opulentioribus adolescentibus Catechismi non modò discendi, sed docendi quoque extitit tantus ardor, vt in atrijs, & ad ædium ianuas mendicos congregatos docerent, doctos eleemosina donarent. Vtrumque Nostrum conferta semper multitudo audiuit. Vna tere omnium vox fuit: Iesuitas Christiani nomen oratorum pro dignitate sustinere: ad solidam doctrinã sic suis coloribus vitia exprimere, vt nullus ea non oderit: sic virtutis explicare ornamenta, vt ad ea nemo non vehementer inflammaretur. Fœmina sororem è vicinia Pontarlicum euocauit, vt Nostro confiteretur: hæc confessa, frustra maritum, non frustra filium multarum palmarum militem ad idem faciendum instigauit. Confluxerunt & alij è pagis eandem ob causam. Pugnatum cum vao, qui minorem criminibus suis pœnam à iudice nostro decerni affirmaret, quàm par esset.

ITVM etiam in vicina loca, deprehenso alicubi veneno quod siue fraude hæreticorum conterminorum, siue incuria Curionis irrepebat, admoniti, & increpiti primores loci, malo occursum sponderunt. In itinere fratres duo mutuas iras sanguine restincturi, ægrè tandem placati. Pontarlicensibus Nostri ad eò accepti fuere, ut legato homine eisdem in annum sequentem petierint, & impetrarint. Cæterorum quoque Burgundionum in Nostros benevolentia enituit, æstiuis vacationibus ad S. Claudium peregrinatos. Confessiones passim, vno in loco sexcentæ audita. Mulier quæ sex annis homini sacro pudicitiam prostituerat, ad honestatem reuocata, tutiorique loco collocata.



PRO